Zach.9. rum caliginem ostẽdit ipsorum vates Zacharias, cùm ait capite nono: Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper ascendens super asinam, & super pul
Mat.21. lum filium asinæ. Quem locum Matthę capite 21. de Christo Deo nostro in ingressu Hierosolymę interpretatur. Hic est Rex ille, quem magi Oriẽtales quærebãt
Matt. 2. dicentes, vt refert Matthæus capite 2. Vbi est, qui natus Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Nullus Rex natus est Rex præter Christum. Ideo diuino spiritu afflati non dicunt: Vbi est puer, qui natus est? Sed vbi est Rex, qui natus est Rex? Hunc alloquens Nathanael verus Israelita dixit, vt ait 1. capite sui euã
Ioan.1. gelij Ioannes: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Et ingrediente illo Hierosolymam honorificè dicebant turbæ, vt ait
Luc.19. Lucas capite 19. Benedictus q venit Rex in nomine Dñi. Et Pilatus super crucem Hebraicis Græcis ac Latinis literis hũc titulũ inscribi in tabula præcepit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, vt Ioannes ait ca
Ioan.19 pite 19. quem titulum vetustate ferè consumptum vidi ego Romæ, & manibus tenui. Aspicis igitur, Christum esse regem, eiusque regnum æternum esse, quod nulla vetustate delebitur, nulla vnquam obliuione labefactabitur. Sed quia hæc legentibus illa poterit occurrere dubitatio, quale fuerit illud Christi regnum, complectar breui, quid sentiam. Sunt, qui dicant, fuisse Christum temporalem Iudæorum regem, regnumque illud ad eum deuenisse iure hæreditario, quoniam erat ex familia Dauidis, à quo linea recta per regiam ꝓsapiam genus suum ducebat, quod ex pri
Matt. 1. mo Matthæi capite probare contendunt. At si verba euangelistæ perpendant, qui Iosephi genealogiam describit, qui pater Christi non fuit nisi putatiuus, videbunt Christum dominum descendisse quidem ex Dauide, sed non liquidò constare id
Matt. 1. esse per lineam rectã. Fateor diuum Matthæum Christi seruatoris progeniem per patres naturales descripsisse, diuum verò
Luc.3. Lucam per legales, vt ait Africanus fidelis historicus in tractatione Harmoniæ euangelicæ, quem refert Eusebius Cæsariensis lib. 1. historiæ ecclesiasticæ. In hac sententia sunt Hieronymus in primum Matthęi caput, Chrysostomus homilia 2. in Matthæum, Augustinus libro 2. de consensu euangelistarum, Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ, & alij patres sapientia & sanctimonia admirandi. Sed etsi Matthæus recenset parentes naturales Iosephi, non statim sequitur, Christũ qui Mariæ virginis filius est, non Iosephi, ex Dauide per rectam lineam descendisse. Erãt quidem ex eadem familia Ioseph & Maria, sed Matthæus non Mariæ, sed Iosephi patres iuxta scripturarum morem recenset. Sed esto, do illis descensum hũc per lineam rectam extitisse. Vnde sequitur eum iure hæreditario regnum Iudæorum habuisse? Multi enim filij regis, & nepotes regis, & posteri regum per rectũ ductum, reges non sunt, quia solùm maior natu iure hęreditario regnum adeptus est, interueniente populi consensu, qui illum principem in regem iurauit. Vnde constabat esse Christum vltimo Hierosolymæ regi omnibus aliis ex genere Dauidis sanguine propinquiorem? Vbi factus est conuentus, vbi eum Iudæa pro rege suo acceperit, & iurauerit? Imo Iudæi dicebant: Non habemus regem nisi Cæsarem. Qui fieri poterat, vt iure hæreditario succederet in regnum, quod multo antè nimirum in transmigratione Babylonis extinctum fuerat? Nam inter captiuitatẽ Sedechiæ vltimi Iudæorum regis & Christi aduentum sexcenti & quindecim anni interfluxerũt. Quare longè quidẽ meo iudicio falluntur opinione. Vltimus Iudæorum Rex ex familia Dauidis fuit Sedechias, cuius filij fuerunt coram eo interfecti, & ipse oculis priuatus, vt talis esset eius vultus, qualis erat animus. Ergo ab eo Christus non descendit. Sed antea fuerat Iechonias in regia dignitate constitutus, qui abductus in Chaldæam fuit in carcerem coniectus. Ac post mortem Sedechiæ etiam superstes, sed regno spoliatus vitam degebat. Hic filios habuit, & ab eo Christus dominus duxit genus suũ.

Africa. Eusebi. Hieron. Chrys. August. Damasc. Ioã 19. 4. Reg. vltim. 4. Reg. 24. 4. Reg. vltim.

At